

nitione extra Verbum, sed sine ipsa dari, et salvari potest, juxta illud S. Augustini : « Beatus qui te cognovit, etiamsi illas non cognoscat, » id est, creaturas. Ergo impertinenter adducitur illa cognitio extra Verbum pro securitate beati.

XIII. Denique instatur contra ipsam consequentiam D. Thomæ. Nam illis duabus propositionibus assumptis, adhuc non sequitur intentum, scilicet quod beatitudo ex natura sua, et ab intrinseco habeat perpetuitatem; sufficit enim, quod habeat illam ex voluntate, et decreto Dei, et beatus id cognoscat: quia sufficit ad ablationem timoris, quod malum non sit futurum, non quod non sit possibile. Ut autem non sit futurum, sufficit voluntas extrinseca Dei, sicut etiam corpora beatorum erunt incorruptibilia non ex natura sua, et ab intrinseco, sed ex dono extrinseco Dei. Similiter ergo securitas, et perpetuitas beatitudinis requiritur quidem ad ipsam, sed sufficit quod ex dono extrinseco Dei conservantis illam habeatur, et id a beatis cognoscatur ut secutus sit.

XIV. Sed hæc nihil evincunt contra rationem D. Thomæ quæ solidissima est. Et ad primum dicitur certissimum esse quod beatitudo importare debet perfectum et sufficiens bonum, si quidem est ipsa adeptio summi boni. Cæterum non requiritur, quod vel per se solam formaliter, vel statim omnia bona in exercitio habeat, sufficit enim quod de se sit radix, et principium abundantissimum habendi omnia illa; requiritur tamen, quod quidquid habet, vel habiturus est, cum securitate habeat, quia possessio debet esse firma, utpote in ultimo termino. Quod vero simul, et eodem tempore habeat omnia, non requiritur: nam et Angeli habent plures revelationes successu temporum, nec tamen id obstat eorum beatitu-

dini, quæ creaturæ intellectuales licet in ipsa visione immutabiliter, et per modum æternæ vitæ operentur, tamen in aliis actionibus, vel rebus, quas exercent, et possident, non omnia simul habent, sed modo istam operationem, modo illam. Et similiter possunt modo carere corpore, postea habere illud: et Christus prius fuit viator, et habuit passibile corpus, postea gloriosum; hæc enim omnia sunt accidentia beatitudinis, possuntque non simul, sed successive haberi; et si non habeantur, vel perdantur, non multum interest, quia accidentalibus bona non sunt ad beatitudinem: vere tamen de illis habitis, vel habendis suo tempore securitas datur, quia jam in sua radice possidentur. Cæterum ipsa radix, et substantia beatitudinis, si semel possidetur, non potest sine securitate possideri, alias nec ipsa beatitudo, ne ejus status, et accidentia essent secuta, et possessio illius boni non esset perfecta, nec esset adeptio felicitatis et beatitudinis, si sic adipisceretur tantum bonum, quod cum anxietate perden- di haberet illud.

XV. Ad secundam instantiam dicitur securitatem beatorum formaliter consistere in exclusione omnis timoris, et omnis mali; sed radicaliter oriri ex ipsa abundantia boni, quod possident, quod est summum bonum, juxta illud Proverb. I: *Qui me audierit absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Itaque ablatio timoris potest dupliciter oriri et convenire alicui. Uno modo ex sola subtractione judicii, et cognitionis de malo imminente, et de eventu futuro: alio modo cum cognitione boni, quod possidet, et judicio de amissibilitate vel inamissibilitate illius. Primum sufficit ad exclusionem timoris, sed imperfecto modo, utpote ratione ignorantia: secundum ad perfectam exclusionem

in vi abundantia, et cognitionis tanti boni. Nam primo modo excluditur timor ex defectu, scilicet ex ignorantia, aut nescientia eventus; ergo imperfecte: unde per oppositum secundo modo excluditur perfecte. Beatitudo autem ex perfectione sua excludit omne malum, et ex abundantia boni; ergo ex cognitione, et judicio de bono non amittendo, et malo non succedendo, non ex defectu judicii de ipso bono, quod possidet, aut amissibilitate possibili, vel futura.

XVI. Et ad aliam instantiam, quod non requiritur ad beatitudinem videri aliquam creaturam in Verbo in particulari, nec etiam ipsam visionem, respondetur non requiri quod videatur in Verbo tamquam effectus in causa, et tamquam objectum secundarium post divinam essentiam; requiri tamen quod videatur ipsum exercitium visionis, et habeatur experientia de ipsa, ita quod beatus sentiat se videre visione tali, scilicet adipiscente ultimum finem, et terminante statum viæ; atque adeo debet ipso exercitio videre perpetuitatem ejus, et intrinsecam inamissibilitatem, quia immutabilis, et æterna est ab intrinseco, et extra terminum viæ. Adde tamen, quod licet de potentia absoluta possibile sit nullam creaturam, nec etiam visionem ipsam videre in Deo, quasi rem contentam in Verbo, est tamen connaturale, et debitum quod beatus videat omnia ea, quæ ad se pertinent; alias non esset sibi sufficiens ad vivendum beatitudo, nec sufficienter satiaret si non cognosceret, quæ a se agendo sunt, et quæ ad se pertinent. Nihil autem ita pertinet ad beatum sicut ipsa visio.

XVII. Dices: Si videre debet beatus visionem ut securam, et non amissibilem, necessario debet videre negationes omnium eorum, per quæ posset deficere in quocum-

que rerum statu, tam ex parte creaturarum, quam ex parte Dei; ergo deberet videre infinita, quia infinitis modis potest aliquid deficere; qui autem videt infinitas negationes deficienti existentes in ipsa visione, quia ab omnibus illis de facto secuta est, omnia illa quæ a talibus negationibus tolluntur, debet videre, si quidem negationes distinguuntur penes res negatas: ergo si videntur distincte illæ negationes, videntur omnes res negatæ, et omnia possible. Respondetur, quod hoc argumentum in quacumque re potest currere, nam viso homine, vel lapide comprehensive, ut videtur ab Angelo, debent videri omnes negationes aliarum rerum, quæ non sunt ipse, quæ negationes in eo existant; ergo debet videre omnia possible creata, quia omnium negationes habet. Dicitur ergo, quod negationes possunt dupliciter videri; vel ex parte subjecti prout contentæ in aliquo subjecto positivo, quatenus visio quid est aliquid, videtur ex consequenti, quod non est aliud, etiamsi illa sigillatim non videantur. Alio modo in se ex parte objecti cognoscendo quid sit illud, quod quælibet negatio tollit. Hoc secundum non requiritur ad comprehensionem rei, et securitatem beatitudinis, sed sufficit primum.

XVIII. Ad ultimam instantiam, respondetur optime D. Thomam inferre, quod ex natura sua intrinseca, beatitudo petit hanc perpetuitatem, et non ex sola extrinseca, et superaddita voluntate Dei: licet enim ad perpetuam durationem ejus sufficiat voluntas Dei conservantis, et ad exclusionem timoris sufficiat malum non esse, nec apprehendi, ut futurum; tamen ut sit vera, et propria beatitudo, non sufficit id habere per extrinsecam, et indebitam Dei voluntatem, sed debet ex natura sua postulare illam. Etenim visio illa

beatificans ex sua intrinseca natura et specie, non autem per intrinsecam condonationem a voluntate divina habet esse vera, et propria beatitudo; ergo vel illa conservatio perpetua a voluntate Dei facta, est debita, et connaturalis beatitudini, et juxta ejus intrinsecam naturam; vel est indebita, et supra naturam ejus. Si primo modo; ergo male dicitur a sola voluntate Dei provenire, cum ex naturalibus, et intrinsecis principiis debeat: sicut Angeli, et cœli sunt naturaliter perpetui, et incorruptibiles, quia est debita juxta eorum naturam illa perpetua conservatio (de quo statim dicemus) et hoc sufficit rationi D. Thomæ, quod concludat ita esse ex natura sua perpetuam beatitudinem, sicut sunt Angeli, et cœli; nam in ordine ad absolutam potentiam Dei posse desinere etiam res istas incorruptibiles per annihilationem, aut suspensionem concursus, nullus dubitat. Si dicatur secundum; ergo si Deus non faceret illam indebitam gratiam beatitudini perpetuandam, ipsa juxta suam naturam amitteretur et corrumpi postulabat; ergo juxta suam naturam, et ex intrinseca ratione beatitudo non est, si quidem non perfecte excludit omne malum, et sic non est summum bonum, nec possidet, et videt omne bonum, contra id quod dicitur Exod. xxxiii, cum non excludat amissionem sui, quæ est maximum malum, neque timorem amittendi, quod est proximum illi. Quare ex securitate, quam petit beatitudo illa, quæ ex sua intrinseca natura beatitudo est, optime infert D. Thomas, quod etiam ex sua intrinseca natura secunda, et perpetua est, licet alias securitas, etiam ex sola voluntate Dei posse provenire.

VISIO EX PROPRIA RATIONE VISIONIS
PETIT PERPETUITATEM.

XIX. Secunda ratio S. Thomæ in hoc præsentis articulo iv, quæstion. v, examinanda venit, qua D. Thomas probat perpetuitatem beatitudinis ex ipsa speciali, et propria natura visionis beatæ. Et ratio formatur sic: Beatitudo essentialis consistit in visione divinæ essentiæ; sed visio divinæ essentiæ ex sua natura, et principiis intrinsecis non habet causam aliquam, per quam possit corrumpi, et amittere esse: ergo ex propriis, et intrinsecis principiis est perpetua, et incorruptibilis. Major constat ex supradictis. Minor probatur, quia visio beata solum ex triplici causa potest cessare, et amittere esse; vel ex parte subjecti videntis, quia non vult videre; vel ex parte Dei subtrahentis ipsam visionem; vel ex parte alicujus causæ creatæ corrumpentis ipsam visionem; sed ex nulla istarum causarum cessare potest visio beata: ergo. Minor probatur. Non potest cessare ex priori causa, quia voluntas non potest invenire aliquam insufficientiam, vel incommodum, aut aliquam rationem mali in illa visione tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, cum jungat illa visio animam fonti totius bonitatis, et ejus contemplatio, atque exercitium nihil incommodi, aut fastidii repræsentare potest, si quidem est exercitium adipiscens, et uniens sibi summum bonum, seu omne bonum: unde dicitur Sapient. viii: *Non habet amaritudinem conversatio illius, aut tædium convictus illius*: ergo non potest illa visio cessare ex illa prima causa, nempe ex voluntate videntis.

XX. Non ex secunda, quia subtractio beatitudinis semel datæ, est

maxima pœna, et maximum damnum, quod quis incurrere potest; Deus autem non infligit aliquam pœnam, præsertim summam, qualis est ista, nisi supponendo culpam in subjecto; ergo prius deberet peccare beatus, quam amitteretur beatitudo; beatus autem peccare non potest ex intrinseca ratione ipsa visionis beatæ, (ut articulo præcedenti ostensum est) imo si peccaret, jam beatus non esset, quia a summo bono aversus esset, nec illi conjunctus; ergo neque amitti beatitudo ex subtractione divina. Non denique ex tertia causa, quia nullum agens creatum potest in illam conjunctionem Dei cum anima; si quidem per illam conjunctionem, quæ est immediate ad Deum, elevatur mens super omnia creata; ergo non potest illa visio, et conjunctio dissolvi per quamcumque potestatem creatam, et sic ex natura sua inamissibilis est.

XXI. Contra istam tamen rationem objici potest ad probandum, quod efficax non sit. Nam in primis contra primum modum objicitur ad probandum quod possit desinere visio ex voluntate ipsa videntis. Nam licet beatitudo ex sua specificatione, et objecto sit summum bonum, nec in illo quidquam mali appareat quod odio habeatur; tamen quoad exercitium non necessitat voluntatem, quia exercitium ejus aliquid creatum est; ergo potest non amari, si quidem nihil creatum est, quod voluntatem necessitet; ergo potest velle cessare ab ipsa visione, eamque repellere. Et confirmatur, quia potest Deus habere voluntatem, et visio beati cesset post horam, et hoc revelare ipsi beato; ergo tunc potest beatus velle eandem cessionem. Patet consequentia, quia potest conformare voluntatem suam voluntati divinæ; imo Deus potest beato præcipere, ut conformetur suæ voluntati; ergo poterit velle talem ces-

sationem, si quidem si potest hoc præcipi, potest etiam exequi. Et præterea possunt hic currere omnes rationes sequenti articulo faciendæ, ad probandum non esse necessarium amorem beati erga Deum clare visum, et ejus visionem.

XXII. Secundo objicitur contra secundum modum amissionis beatitudinis. Nam visio in ratione visionis entitative consideratæ potest desinere per subtractionem concursus divini, sine hoc, quod id faciat in pœnam, neque supponat culpam; ergo ratio D. Thomæ ruit. Patet consequentia. Nam D. Thomas in hac ratione loquitur de visione in ratione visionis physice, et entitative, nam in ratione beatitudinis, et secundum statum, quem postulat, jam locutus fuerat in priori ratione; ergo si in ratione physica visionis desinere potest per subtractionem divini concursus, et non in pœnam, non subsistit ratio D. Thomæ. Antecedens autem probatur, tum in visione data Moysi, et Paulo, per modum transeuntis, quam nunc supponimus fuisse ejusdem speciei cum visione beatorum, quia fuit circa idem objectum specie, scilicet Deum clare visum: illa enim desiit esse, et non in pœnam, neque propter culpam ipsius Pauli, et Moysi; ergo bene potest desinere visio per subtractionem concursus, et non in pœnam. Tum etiam in visione ipsa beatorum, quam Deus potest destruere, et annihilare de absoluta potentia, sine ulla ratione pœnæ, nec supponendo culpam ex parte beati, sed solum quia vult, si quidem libere eam conservat in esse, sicut etiam potest destruere ipsam naturam, et existentiam Angeli beati annihilando illum; et tamen hoc non esset in pœnam, nec præsupponere deberet culpam. Ergo insufficienter probat D. Thomas non posse desinere visionem Dei ex subtractione ipsius,

quia talis subtractio esset pœna, et supponeret culpam.

XXIII. Tertio contra probationem tertii modi amittendi beatitudinem objicitur. Nam visio illa dependet a substantia animæ, et ab intellectu, ut a causa eliciente, et recipiente talem visionem: sed inter ipsam animam, et visionem non est connexio necessaria, magis quam cum aliis habitibus, aut donis gratiæ, quæ recipit in via; ergo potest anima, et intellectus quantum est de se subtrahi ab ista visione, sicut ab aliis donis gratiæ, et destruere illam. Et saltem potest ipsa anima amittere esse, si Deus suspendat suum concursum, et sic ex desitione alicujus rei naturalis, potest visio corrumpi. Denique, licet visio non dependeat ab aliquo agente creato, ut a causa principali, potest tamen dependere ab aliquo agente creato, ut a causa instrumentali in fieri, et a causa instrumentali in conservari, sicut ab humanitate Christi; ergo per ipsam humanitatem, et voluntatem creatam Christi potest destrui.

XXIV. Hæc tamen nihil evincunt. Et ad primam instantiam, respondetur voluntatem necessitari tam quoad specificationem, quam quoad exercitium ad amorem Dei clare visi, (ut sequenti articulo ostendetur.) Unde non potest ipsa visio quatenus ad hoc exercitium amoris movet, a voluntate repelli. Et cum dicitur, quod ipsa visio est aliquid creatum, distingo; est aliquid creatum objective, seu ex parte objecti, nego; formaliter in se, et entitative, transeat: ergo non necessitat voluntatem distingo; ratione sui, transeat; ratione objecti visi, nego. Impossibile est enim voluntatem necessitari ab aliquo objecto repræsentato voluntati ut amet illud, et indifferentem manere circa ipsam repræsentationem, et visionem, quatenus tale objectum reddit cognitum et

repræsentatum. Actus autem non amatur ratione sui, ut qualitas quædam creata est, sed ratione objecti cogniti et visi; et quamdiu hoc objectum amatur, necesse est quod in ipso sic amato ipsa visio, et repræsentatio ametur ut finis, seu beatitudo quo, non quod, quatenus adeptio, et apprehensio est talis objecti, siquidem non amatur nisi cognitum. Itaque si objectum repræsentatum necessario amatur, ipsa repræsentatio etiam necessario amatur, ut quo, seu ut conditio requisita ad amandum, quidquid sit, an talis visio entitative, et ut objectum quod per reflexionem amabile, non necessario ametur.

XXV. Ad confirmationem respondetur posse Deum velle illam cessationem visionis, tamquam præternaturalem, non connaturalem ipsi visioni, et sic beatus potest velle illam cessationem, non ex vi, et meritis objecti, et per se loquendo, sed ex suppositione divinæ dispositionis extrinsece se habentis, et præternaturaliter ad talem visionem. Unde ipse non vult cessare a visione, nec ad illam volendam ex objecti defectu se movet, sed solum vult pati cessationem visionis a Deo factam, nec ipse repellit a se objectum, aut illud refugere, et avertere a se potest, sed solum patitur ablationem illius factam a Deo, et sic etiam potest conformari voluntati divinæ, et præceptum se conformandi illi acceptare: non tamen hoc est voluntatem cessare ab illa visione, aut eam avertere, sed pati ablationem illius, eamque a Deo tolli.

XXVI. Ad secundam instantiam respondetur, quod dupliciter Deus subtrahit concursum suum, et destruit rem aliquam, seu formam. Uno modo procedendo juxta exigentiam ipsius causæ secundæ: alio modo supra, vel præter omnem exi-

gentiam creaturæ, et de absoluta potentia: sicut potest annihilare totum hoc universum, et creare, vel destruere quod voluerit. Hoc secundo modo non negat D. Thomas, nec aliquis potest negare, quod visio beata, et quælibet res creata desinere potest, et corrumpi. Sed hoc non est connaturale ipsi creaturæ, aut causis secundis, vel cursui rerum. Primo autem modo non potest desinere visio beatifica per subtractionem divini concursus, connaturaliter, et juxta exigentiam rerum, res enim creatæ solum dupliciter possunt exigere subtractionem concursus divini; vel exigentia morali, scilicet ob demeritum; vel exigentia physica, scilicet ob contrariam formam, aut impedimentum physicum, cum quo non compatitur talis formæ conservatio. Et D. Thomas ostendit non intervenire hic exigentiam moralem, quia non intervenit culpa, neque illa subtractio potest dari in pœnam. Neque intervenire exigentiam physicam, quia non est agens creatum, quod possit impedire illam immediatam conjunctionem mentis ad Deum, aut introducere formam illi contrariam. Cessante autem omni exigentia causarum, seu naturarum inferiorum, non est connaturale, ut Deus subtrahat suum concursum, et destruat illam formam, ratione cujus dixit D. Thomas 1 part. quæstion. civ, artic. iv ad secundum, quod ea, quæ non habent contrarium, quamvis habeant finitam virtutem, perseverant in æternum. Et ut ibi docet S. Thomas Deus nullam creaturam redigit in nihilum ex sola subtractione sui concursus, sed semper juxta exigentiam agentis creati corrumpentis. Si ergo non est aliqua exigentia connaturalis ad hoc, ut Deus subtrahat concursum; ergo ex natura intrinseca, et connaturalibus principiis, incorruptibilis dicitur.

Sufficiebat autem rationi D. Thomæ ostendere, quod connaturaliter, et juxta intrinseca principia non potest desinere visio per subtractionem divini concursus, quia solum intendebat ostendere, quod ex natura sua incorruptibilis est: quod vero etiam super omnem exigentiam naturæ, sive moralem, sive physicam non possit a Deo corrumpi, et annihilari, insanum esset velle ostendere. Et sic manet responsum ad instantiam de visione Moysi, et Pauli, quæ data est solum per modum transeuntis, non juxta exigentiam suæ naturæ; et ad instantiam de visione beatorum, si Deus vellet illam annihilare.

XXVII. Ad tertiam instantiam respondetur elici quidem visionem ab anima, et subjectari in illa, sed tamen ejus perpetuitatem non fundari in connexionem necessaria animæ cum visione, sed in ipsa intrinseca natura visionis, quæ potius trahit animam, et elevat ad superiorem, et immutabilem modum operandi. Itaque perpetuitas alicujus formæ, aut sequitur ex conditione subjecti, in quo recipitur, quia ad modum subjecti se accommodat, et tunc ut perpetuitatem habeat, requiritur quod habeat necessariam connexionem cum subjecto perpetuo, tamquam passio propria, aut prædicatum ejus intrinsecum: vel secundo contingit e contra, quod forma ipsa elevat subjectum ad statum, et modum superiorem, quia immutabili principio facit adhærere; et tunc non attenditur perpetuitas formæ ex naturali perpetuitate subjecti, aut ex connexionem necessaria cum ipso, sed ex ipsa propria natura talis formæ, et modo ejus operandi, qui talis est, ut vincat proprium, et connaturalem modum subjecti, qui mutabilis est et ad superiorem, et immutabilem elevat, conjungitque principio indefectibili, et æterno,